

μια ψήφω τὰς ἀμφὶ Θρασύλλον καὶ Ἐρασινίδην ἀπο-
κτεῖναι πάντας, ἐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι, ὀργιζομέ-

78

XIII, 74, Aristogenes et Protomachus iuga sunt elapsi, et Leon videtur absolutus esse. Quare Xenophon l. l. §. II narrat, sex, qui affuerint, esse occisos. Z.] Iam cum de eorum poena ad populum ageretur, placuit ei, de eis simul ferri sententias, cum lex de singulis iuberet. Noluit ἐπιστάτης Socrates ἐπιψηφίσαι, h. e. populum in suffragia mittere, quod erat Proëdri, ut ad Harpocrat. p. m. 74 docet Valesius, et quidem, ut ex hoc loco intelligitur, ἐπιστάτης. Ern. Plato Apol. sect. 20, et Aelianus V. H. III, 17 commemorant, decem praetores esse accusatos, h. e. totum collegium ponunt pro maxima ipsius parte. Cf. Perizon. ad Aelian. l. l. et Hindeburg. Animaduers. ad Xenoph.

μια ψήφω] Plato l. l. adhibet ἀδρόους.

τὰς ἀμφὶ Θρασύλλον καὶ Ἐρασινίδην] Valkenarius cenet, cum Xenophon de se sua aetate omnibus nota tantum scripsisse videatur, haec verba minus commode orationi Xenophontae esse interiecta, scripta tamen ab historiae veteris perito. Sed, pace viri docti, mihi secus videtur. Nam auctor posuit perspicuitatis gratia, ut intelligeretur, de quibus sermo esset praetoribus; quia fere quotannis eiusmodi στρατηγοὶ ἐπὶ τῶν ὀπλων s. ἐπὶ τῶν ὀπλιτῶν, s. ἐπὶ τῆς ὀπλίτας solebant a populo creari, χειροπονεῖσθαι. vid. Harpocrat. et Suid. h. v. Prae caeteris vero hi nominari videntur propterea, quod, ut auctor Hist. Gr. I, 7, 10 narrat, suaserunt, quid, pugna commissa, faciendum esset. Accedit quod Erasimides, ut Ernestus e Xenoph. l. l. §. I monet, primus accusatus atque in vincula ductus erat. Caeterum pro Θρασύλλον in edd. vet., Paris., et apud Lysiam aliosque auctores scri-

bitur Θρασύλλον, Z. Male interpretes haec: nouem praetores Thrasyli ac Erasimidae collegas reddiderunt. Verte potius: nouem praetores, inter quos Thras. et Erasimides erant, seu Thras. et Erasimides cum collegis. οἱ ἀμφὶ et περὶ τινὰ saepe dicitur de singulis. vid. v. c. Graev. Lect. Hesiod. c. 9: sed proprie de eo, qui nominatur cum suis, cum comitibus. Auctor. XIII, 13 οἱ περὶ τὸν Παῦλον sunt Barnabas, Paulus et Ioannes. Sed quod inter eos facile princeps erat Paulus, certe de eo ibi imprimis commemoratur, ideo ipse potius nominatur, quam Barnabas aut Ioannes: quod vidit et vetus interpretes, qui vertit: Paulus et qui cum eo erant: idque sequitur Beza. Haec pluribus, quam pro instituto differere placuit, ut dicendi genus, non satis cognitum omnibus, accurate intelligere tirones discerent: quod cum aliis non affectus est Rhodomannus in Diod. Sic. XVII, p. 499: vbi Demades Orator dicitur inductus fuisse ὑπὸ τῶν περὶ Δημοσθ. Nam vertit, ab amicis Demosthenis. Immo: ab Demosthene et qui in eadem causa erant. Caeterum verba haec Xenophontis in margine ab aliquo notata, Vptonus ad Arrian. p. 240, in textum irrepsisse ac delenda putat. Themistius Or. XX, p. 239 eandem rem narrans, habet τὰς ἀμφὶ Περικλέα καὶ Ἐρασινίδην καὶ Διομέδοντα στρατηγούς. Vnde patet, etiam Xenophontem potuisse aliquot, quos vellet, nominatim ponere. Ern.

ἐπιψηφίσαι] Significat quidem, aliorum suffragiis suum addere, v. Vales. ad Harpocrat. p. 74 et 234; sed etiam, ut h. l., populo suffragii ferendi potestatem dare, populum in suffragia mittere [Auctor Hist. Gr. I, 7, 9 eandem rem dicit προτιθέναι τὴν διαψηφίαν: Aelianus V. H.,